

vani Herodoto, super eorum originibus ac rebus gestis consulenti, multa vera dissimularunt, multa falsa adsperserunt. Quod deinde multis evincit exemplis. Vid. Van der Weyen in Dissert. Spenc. de birco Azazel excussa §. 676. in Var. Sacr. p. 527. Quæ cum ita sint, qua ratione Marsbamus & Spencerus ad hunc Herodotum, tantis seculis à temporibus, de quibus disputamus, remotum, multa vana loquentem, & ab Ægyptiorum Sacerdotibus, gloriæ umbram captantibus, hac in re informatum, provocare audent? (γ.) Colchos circumcisionem ἀπ' ἀρχῆς non habuisse in usu, jam supra §. 8. Cap. præc. diximus ex ea ratione, quia Philistæi ex iis orti, circumcisione caruerunt, cum tamen parentes mores & ritus suos receptos in liberos soleant transfundere. Non gravabor hic adducere testimonium Bocharti, qui in Phaleg. l. 4. c. 30. Addit Herodotus, ait, circumcisionem tam fuisse in more apud Colchos, quam apud Ægyptios & Æthiopes, neq; id ex recenti instituto, sed ἀπ' ἀρχῆς ab initio. Cujus locutionis vis vel ex Scriptura nota, quæ dicit Satanam mendacem fuisse ἀπ' ἀρχῆς i. e. ὁρκῶ ab ipso mundi primordio. Absit tamen, ut Ægyptios credamus jam cœpisse circumcidi tum, cum ex Ægypto in Colchidem Casluchi migrarunt. Jam ex Abrabamo ad Arabes, & ex Arabibus ad Ægyptios manavit circumcisionis ritus. At Casluchæos & Caphtoræos ex Ægypto migrasse, factum est ante Abrabami tempora, quia ex his orti Philistæi jam tum pulsus Aævæ Palestina potiebantur, & reges suos habebant, cum quibus fœdus contraverunt Abrabam & Isaac Gen. XX. & XXVI. Et hoc ipsum, quod Philistæi non circumcidebantur, docet, circumcidendi ritum nondum fuisse in usu inter Casluchæos & Caphtoræos, quo tempore ex iis excesserunt Philistæi. Sed credibile est, Colchos, qui Ægyptii generis sese esse non ignorabant, ut expresse habet Herodotus, aliquot post migrationem seculis recepisse hunc ritum Ægyptiorum emulatione, ut hac in parte patrissent. Vid. supra cit. Van der Weyen §. 177. p. 324. (δ.) Producit testes, qui tamen nullibi suis comparent testimoniis. Φοινίκης, ait, καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογεῖσσι παρ' Αἰγυπτίων

C 2

πτίων